

NUMMUS HONORARIUS PHILIPPI SECUNDI HISPANIAE

Regis; Cus, regnis & Provinciis omnibus, à Carolo V. Imper. patre, sibi traditis: Anno Christi 1555.



Carolus V. Imper. annum ætatis agens quinquagesimum quintum, rebus compluribus feliciter peractis, cum se animo, corporeque deficere sentiret, quod dudum proposuerat, exequi, Filioque Philippo regna ditionesque omnes tradere statuit. Octavo igitur Septemb. ex Anglia (ubi hætenus cum nova nupta degerat) in Belgium evocatum, cumque honorifico Hispanorum Anglorumque comitatu advenientem recipit: 7. Cal. Novembris Bruxellam ordines Belgarum omnes convenire jubet, iisque præsentibus consentientibusque, rem Principibus raram, mirante mundo, perfecturus, certâ ad vitam servatâ pecuniæ annuæ summâ, in filium omnia regnâ transferre decernit. Fratri quoque Ferdinando Romanorum Regi Imperij jura, dignitatemque cum Cæsaris titulo concedenda censuit. Rebus igitur necessariis ad hanc rem constitutis in præsentia ordinum, Procerumque Belgarum, certis adhibitis ceremoniis, supremam familiæ Burgundiæ authoritatem in filium Philippum transfert, Principem eum Equitum aurei velleris constituens. Sumpto prandio ad amplissimam Palatij aulam descendit comitatus filio Philippo, Sorore Maria, Emanuele Philiberto Sabaudia Duce, Procerum turbâ, Regum Principumque confœderatorum Legatis. Tum in paratam paulò altiori loco sedem consider, & per Philibertum Bruxellium arcani consilij Senatorem, Proceribus voluntatem suam exponit. Finitâ oratione Cæsar ipse quædam, à Bruxellio omissa, subjungit: comprimis Filium Philippum Belgis: hos filio, multis cum lachrymis, commendat. Auditus est ab omnibus summâ cum attentione, cumque dicendi suavitate, gravitateque omnium animos commovisset, magno numero præsentibus lachrymas fundebant, singultusque adeo sonoros edebant, ut ipsum Cæsarem Reginamque Mariam collachrymari cogerent. Exinde Jacobus Massius Antuerpiensis